

est : quare infideles conversos non adstringit ob sponsalia vel matrimonia in infidelitate contracta. (S. Inqu. 19 Apr. 1837; Coll. P. F. n. 1254)

II. Impedimentum publicae honestatis, **ex sponsalibus ortum**, matrimonium de Jure hodierno (Trid. Sess. 24. de ref. Matr. c. 3) dirimit tantum intra primum gradum. Sic sponsus invalide nuberet cum matre, sorore vel filia sponsae suae.

Ut sponsalia impedimentum istud producant, necesse est ut fuerint valida : nam Trid. (l. c.) sustulit impedimentum "ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt. „Si fuerint condicionata, impedimentum non oritur antequam impleta fuerit condicio. (6^o Decr. l. 4. t. 1. c. un.) Quidam AA. existimarent nullum oriri posse publicae honestatis impedimentum e sponsalibus ocellis : reapse enim videtur penitus deficere finis ad quem impedimentum inductum est, vid. servanda externa honestas. Sed hanc sententiam merito AA. recentiores fere unanimis rejiciunt. Nam impedimentum istud oriri e sponsalibus etiam occultis, probant plura documenta S. Sedis, et imprimis responsum S. Inqu. ad Archiep. Quebec. 11 Aug. 1852. (Coll. P. F. n. 1255)

484. III. Impedimentum publicae honestatis. **e matrimonio rato ortum**, matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive. Ita tenet sententia fere unanimis recentiorum. Etenim, licet in Jure Decretalium nullo textu hujusmodi impedimentum statueretur, ab omnibus AA. tamquam indubium tradebatur : quia absonum foret publicam honestatem oriri e sponsalibus, minime vero e matrimonio rato, quod validius vinculum inducit. Dubitantibus vero quibusdam num istud quoque a Trid. (l. c.) ad primum gradum restrictum fuisset, S. Pius V (Const. *Ad Romanum*, 1 Jul. 1568) declaravit nihil in ejus extensione mutatum esse. Jamvero, sub vetere Jure, ad quartum usque gradum extendebatur, ut de sponsalibus statuit Bonif. VIII. (6^o Decr. l. c.)

Impedimentum istud, ex cit. Const. S. Pii V, post Conc. Trid. perinde ac sub Jure Decretalium, regulariter oritur e **matrimonio etiam invalido**, non oritur tamen e matrimonio quod nullum sit ob defectum consensus. Ceusetur autem, e communi sententia AA. (Schmalzgr. in Decr. l. 4. t. 1. n. 101), deficere consensus, non tantum si nullus omnino verus consensus praestitus est, sed etiam quando consensus irritus fuit ob conditionem non impletam, ob errorem substantialem, ob metum gravem, etc., quod valet probabilius (S. Alph. n. 1062) etiamsi defectus consensus est omnino occultus. Ex declaratione autem a Leone XIII 7 Apr. 1879 edita, certum est "actum qui vulgo dicitur *matrimonium civile*, in locis ubi promulgatum est decretum Conc. Trid. Sess. 24. c. 1.

de ref. Matr., sive fideles actum ipsum explentes intendant, uti par est (matrimonio ecclesiastico jam rite celebrato, vel cum animo illud quanticus celebrandi), meram caerimoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem, ex ignorantia aut in spretum ecclesiasticarum legum, intendant matrimonium de praesenti contrahere, impedimentum justitiae publicae honestatis non producere. „Hinc etiam patet nullam inesse matrimonio civili vim sponsalium.

De reliquis vero matrimoniis ob defectum formae Tridentinae (n. 495) invalidis, hinc inde disputatur. Plerique affirmant ex iis oriri impedimentum publicae honestatis. (Feye, n. 399 seqq.) Nituntur tum ratione, quod talia matrimonia non sunt irrita defectu consensus, tum auctoritate SS. Congregationum : citantur plura responsa quorum tamen annus et dies ignorantur et resp. S. Poenit. 13 Mart. 1820. Sed, cum multis aliis AA. (Ball. P. n. 1153; Gasp. n. 728), opinamus impedimentum in hoc casu esse saltem dubium, ideoque in praxi non argendum. Etenim matrimonia hujusmodi, saltem ubi penitus neglecta est forma Tridentina, videntur carere specie justi matrimonii : quae ad inducendum impedimentum certe requiritur. Responsa autem S. C. C. vel dubia sunt, vel non improbabiliter explicari possunt, praesertim resp. S. Poenit. 13 Mart. 1820, de tutiore regula practice servanda. Tandem huic sententiae magnum robur adjecit cit. decretum Leonis XIII : nam quod declaratur de frequentiore specie matrimonii clandestini, vid. de matrimonio civili, verisimiliter ex mente S. Sedis ad reliquias species extenditur.

Tandem notandum est personam, quacum inita sunt sponsalia quae adhuc in suo vigore maneant, non attingi impedimento publicae honestatis quod e matrimonio invalide cum ipsius consanguinea inito oriatur. Hanc exceptionem, aequitati maxime consentaneam, statuit Bonif. VIII. (l. c.) Sed rarissime poterit sponsus vel sponsa infidelis partem relictam sine dispensatione ducere : siquidem adesse solet et praesumi debet affinitas e matrimonii consummatione oriunda. (Feye, n. 388 seqq.)

IV. Permanet impedimentum publicae honestatis, etiamsi sponsalia, vel matrimonium ratum quavis ratione soluta sunt. Id quidam AA. (Bus. ap. S. Alph. n. 1061) negarunt de sponsalibus mutuo consensu dissolutis; sed contraria sententia tenenda est ob resolutionem S. C. C. 6 Jul. 1658. Potest quoque multiplicari, fere sicut de impedimentis consanguinitatis et affinitatis dictum est. (Gasp. n. 729)

VII. IMPEDIMENTUM CRIMINIS.

485. I. Prima species hujus impedimenti vocari solet **homicidium solum** et sequentes requirit condiciones :

1º Homicidum conjugis, ab altero conuge et ab eo quocum matrimonium ineundum foret, patratum. Quare non incurritur impedimentum, si alteruter tantum mortem conjugis machinatus sit, altera parte inscia invita, vel post factum tantum approbante. Parum autem refert utrum homicidium patratum sit physice, ex. gr. dato veneno, an moraliter tantum, ex. gr. corrumpendo medicum ne dato remedio mortem arceret.

2º Ut haec conspiratio in caedem conjugis oriatur ex intentione contrahendi matrimonii cum homicidii complice : nam impedimentum praecise statutum est eo fine ut nullus conjux, spe novi matrimonii cum complice, a comparete interficiatur. Probabilis quoque videtur nonnullorum (Feye, n. 453) opinio : requiri ut hujusmodi intentio non tantum in uno, sed in utroque complice adsit et externe manifestetur, saltem ita ut prolata ab una parte, ab altera non rejiciatur. Vix tamen fieri potest ut, si adsit mutua conspiratio in mortem, intentio mutua vel non habeatur, vel nullatenus manifestetur.

3º Ut mors conjugis e machinatione, non autem ex alia qualibet causa, puta ex imperitia medici vulnus male curantis, reapse secuta fuerit.

Has condiciones AA. fere unanimes deducunt ex ipso Jure (Decr. l. 3. t. 33. c. 1, et l. 4. t. 7), collato fine quem Ecclesia in hoc impedimento statuendo intendit. Idem dic de duabus speciebus sequentibus.

II. Secunda hujus impedimenti species vocari solet **adulterium solum**, et sequentes requirit condiciones :

1º Adulterium quod debet esse :

a) *Verum*, non mere existimatum : igitur necesse est ut saltem una pars sit valido matrimonio juncta.

b) *Formale ex utraque parte*. Vid. necesse est ut utraque pars sciat saltem alterutram esse matrimonio junctam. Nec sufficit ut utraque sciat se esse conjugatam : sic enim non fieret injuria eidem matrimonio, quod ad incurendum impedimentum requiritur. Minime vero necessarium est ut uterque matrimonio junetus sit : nullo enim jure duplex adulterium requiritur. Tandem probabiliter non est censendum adulterium formale quod patratum fuerit cum ignorantia crassa status conjugalis in altera parte : non tamen excusat ignorantia affectata. (S. Alph. n. 1036)

c) *Consummatum*, seu de se aptum ad generationem. (n. 456)

2º Promissio matrimonii cum adultero ineundi, vel ejusdem attentatio. In hac promissione sequentes debent concurrere condiciones :

a) Ut sit de matrimonio *post mortem conjugis ineundo*. Si enim promitteretur matrimonium *contrahendum* altero vivente, non haberetur ansa captandae mortis *conjugis* : quae ratio est hujus impedimenti. (Ball. P. n. 1036)

b) Ut sit *signo externo expressa* et ab altera parte acceptata ; neque sufficit probabilius alterius partis silentium. (S. Alph. n. 1038)

c) Ut sit *vera*, non ficta : haec enim non est stricte dicta promissio, qualis in materia odiosa requiritur. (S. Alph. n. 1039)

d) Ut sit *absoluta*, vel, si facta est sub condicione, ut condicio fuerit impleta. Condicionata enim promissio minorem ansam praebet captandae mortis conjugis. (S. Alph. n. 1040)

e) Ut sit *mutua*. Verum quidem est sententiam communiorem et probabiliorem id negare (S. Alph. n. 1041), quia re promissio nullo jure exigitur. Sed, cum locutiones in Jure adhibitae (Deer. l. 4. t. 7. c. 8), ex. gr. *fides data ducendi*, absque ulla vi intelligi possint de fide mutua, poena autem aequalis aequalem in utroque culpam supponat, practice non est urgendum impedimentum in foro conscientiae, ubi deficit re promissio. (Ball. P. n. 1040)

Attentatio matrimonii in eo est quod vir et mulier, quacumque ratione, matrimonium, utique invalide, inire conantur: minime sufficit consortium adulterinum. Attamen, ex communi AA. sententia (Gasp. n. 649), sufficit matrimonium civile, ac proinde praesens impedimentum incurrit quotquot, vivente legitimo conuge, aliud matrimonium civiliter ineunt et consummant (nisi forte altera pars prius matrimonium ignoret).

3º Adulterium et promissio seu attentatio fieri debent stante eodem matrimonio. Ideo, si Titius promittat matrimonium Annae, vivente sua conuge Maria, et hac mortua ducat Caiam, quo durante matrimonio adulterium committat cum Anna, nullum contrahit impedimentum. (Schmalzgr. in Decr. l. 4. t. 7. n. 18) Insuper, si promissio matrimonii revocata fuerit ante adulterium, non incurritur impedimentum, cum utrumque requisitum non concurrat. (S. Alph. n. 1037) Nihil tamen refert utrum praecedat adulterium an matrimonii promissio.

486. III. Tertia hujus impedimenti species vocari solet **utrumque simul**, et sequentes requirit condiciones :

1º Adulterium quale supra (II) explicatum est.

2º Homicidium conjugis ab una parte patratum, altera inscia vel invita. Hic ergo non requiritur machinatio de qua supra (I).

3º Utrumque fieri debet, eodem stante matrimonio. Quare adulterium necessario mortem, non tamen mortis attentionem praecedere debet.

4º Caedes facienda est animo contrahendi matrimonium cum adultero : id enim communiter AA. ex fine legis deducunt. (Schmalzgr. l. c. n. 52) Probabilis non requiritur ut hic animus alteri parti manifestatus fuerit antequam caedes patretur, quia nullibi id in Jure exprimitur. Attamen S. Alph. (n. 1036) cum aliis id necessarium ducit et plures graves AA. etiam recentes id saltem probabile opinantur, ex. gr. D'Annib. III. n. 441. Quare aliqua saltem extrinseca probabilitas huic sententiae denegari nequit.

IV. Controvertitur inter AA. num impedimentum criminis incurrit ab iis qui hujus **legis existentiam ignorant**. Affirmant plerique Canonistae (De Becker, p. 165) : quia impedimentum istud potius ad sanctitatem societatis conjugalis conservandam, quam ad delinquentium punitionem statutum est. Attamen, in foro saltem interno, probabilitatem sententiae negantis admittendam censemus. Hanc enim saltem ut probabilem habent optimae notae Theologi Morales (Ball. P. n. 1044 seqq.; Lehmk. II. n. 770; D'Annib. III. n. 442), immo et Canonistae. (Gasp. n. 658) Deinde negari nequit hoc impedimentum habere rationem poenae et quidem extraordinariae : talis autem ab ignorantibus non videtur incurri. (Vol. I. n. 144) In praxi igitur, si uterque praedictorum scelerum reus hujus legis existentiam ignorabat, nulla stricta obligatio petendae dispensationis urget. Attamen, si absit notabilis incommodi timor, consultius erit eam petere ut dubia in posterum resecentur.

V. Impedimentum criminis **multiplicari** potest tum ratione personarum delinquentium, tum ratione criminum quae patrantur. Sic duplex erit impedimentum, in casu homicidii solius, si utriusque conjux a conspirantibus occiditur ; in casu adulterii solius, si uterque adulter conjugatus est, et haec circumstantia utrius nota est ; in casu utriusque simul, si uterque adulter conjugicidium patrat. Pariter duplex erit impedimentum si in eodem casu concurrunt quaecumque necessaria sunt ad constituendum impedimentum adulterii solius et simul quae ad impedimentum homicidii solius requiruntur.

VI. Impedimentum criminis profecto **juris tantum ecclesiastici** est : quare non incurrit ab infidelibus, etiam postquam uterque ad fidem conversi sunt. Si vero e duobus complicibus, una pars fidelis, altera infidelis est, impedimentum incurrit a parte fidei et per eam ad alteram transit. (Decr. I. 3. t. 33. c. 1) Excipe tamen, si actio ob quam Ecclesia directe imponit impedimentum, puta homicidium, patrata fuerit a parte infideli : tunc enim neque ipsa pars fidelis impedimentum incurrit, cum rea sit solius adulterii. (Schmalzgr. I. c. n. 46)

VIII. IMPEDIMENTUM DISPARITATIS CULTUS.

487. Disparitatis cultus nomine vocatur duplex impedimentum : alterum mere impediens, quod saepius etiam mixtae religionis dicitur, alterum dirimens. De hoc tantum hic agemus ; de illo inter impedimenta mere impeditientia, n. 517.

I. Ob disparitatem cultus irritum est matrimonium inter partem baptizatam et partem non baptizatam, etiam catechumenam. Ex jure naturali hujusmodi matrimonium est illicitum ob grave periculum, cui plerumque tum pars fidelis, tum liberi nascituri exponuntur, fidei catholicae amittendae vel neglegendae. Attamen, cum hujusmodi periculum quandoque removeri possit et graves rationes talis matrimonii ineundi nonnumquam urgeant, fieri potest ut ex jure naturali nihil eidem ineundo obsistat. Nulla vero solida ratio datur ob quam matrimonium inter baptizatum et non baptizatam censeatur jure naturali vel divino irritum. Immo quam falsum id sit, ostendunt tum consuetudo primis Ecclesiae saeculis vigens tales nuptias contrahendi, tum dispensatio quam Ecclesia hodie in hoc impedimento, perinde ac in ceteris impedimentis juris mere ecclesiastici, concedere solet. Igitur vis dirimens hujus impedimenti unice repetenda est **a jure positivo** : quod, secundum communissimam AA. sententiam, nullo universal decreto, sed consuetudine introductum est. Haec tamen consuetudo jam a pluribus saeculis vim verae legis universalis obtinuit, ita ut impedimentum disparitatis cultus censendum sit vigere etiam in ecclesiis quae nuper in locis ethnicorum fundantur. Id extra dubium ponit praxis S. Sedis erga loca Missionum, et affirmat Bened. XIV. (Const. *Singulari Nobis*, 9 Febr. 1749) Exceptionem tamen videtur admittere S. Sedes pro casu plane extraordinario, in quo pauci fideles tam procul a reliquis sejuncti vivant, ut neque comparatem christianam ducere, neque ad dispensationem recurrere possint : qui casus expositus erat a Vic. Ap. Mandciuriae. Hos enim non esse inquietandos, si cum parte infideli nuberent, respondit S. Inqu. 4 Jun. 1851. (Coll. P. F. n. 1275)

488. II. Difficultatem de impedimento isto saepe cident, praesertim in locis mixtae religionis, **dubia de baptismo** ab alterutro nupturientium suscepto. Breviter regulas de hoc argumento tenendas proponemus, adhaerentes pluribus responsis S. Inquisitionis, e quibus mens S. Sedis manifestatur. Haec fusius vides apud Gasparri (n. 598 seqq.) et potissimum apud De Becker. (p. 218 seqq.) Videlicet :

1º Tamquam principium generale tenendum est : baptismum dubium, in ordine ad matrimonium ineundum vel initum, habendum esse ut baptismum validum. Sie S. Inqu. 7 Jul. 1880 (ap. Gasp. n. 603) declaravit matrimonium dubie baptizati cum non baptizata habendum esse ut invalidum ; matrimonium vero duorum dubie baptizatorum, qui sint consanguinei vel affines, habendum esse ut invalidum ob impedimentum consanguinitatis vel affinitatis. Et jam 18 Sept. 1872 (Coll. P. F. n. 1872) respondit invalidum esse, propter impedimentum disparitatis cultus, matrimonium inter haereticum dubie baptizatum et infidelem. Hinc

apparet omnino aliter dicendum esse de valore baptismi dubii in ordine ad matrimonium ac de eodem dictum est (n. 151) in ordine ad salutem in tuto ponendam. (1)

2º Principium praefatum aequo applicandum est matrimonii contractis (quod omnes concedunt) et contrahendis (quod a nonnullis in dubium vocatur). Etenim S. Inqu. Vic. Capit. Monacensem, normam generalem petentem pro contrahendis matrimonii in quibus dubium de valore baptismi suscepti perseveraret, 18 Sept. 1890, remisit ad decreta 17 Nov. 1830 et 9 Sept. 1868, in quibus universaliter principium praeferatum tradebatur. Tufius tamen erit dispensare ad cautelam in impedimento disparitatis cultus, quando solida ratio suadet alteram partem non esse baptizatam. Atque in hunc sensum respondit S. Inqu. de hujusmodi casu interrogata, 12 Apr. 1899. (N. R. Th. t. 31. p. 655 seqq.)

3º Nulla distinctio videtur admittenda inter dubium juris et dubium facti de valore baptismi collati. Etenim S. Inqu. in resp. cit. 7 Jul. 1880, declaravit : "Praevio diligenti examine in singulis casibus, et persistente adhuc dubio sive juris, sive facti, eadem debent esse conclusiones respectu matrimoniorum. "

4º Ubi dubium occurrit de matrimonio quod inter duas partes acatholicas vel unam partem catholicam et alteram haereticam contractum sit, num alterutra vel utraque pars baptizata sit, semper examinandus est casus particularis. Si vero nulla adsunt testimonia quibus probabilitas suscepti baptismi adstruatur vel elidatur, standum erit praesumptionibus pro collato baptismi vel contra factum collationis baptismi militantibus, ut respondit S. Inqu. 1 Aug. 1883 ad Episc. Savannensem. (Coll. P. F. n. 662) Eodem responso declaravit *non esse praesumendum* baptismum in sequentibus casibus : a) Si pars vel partes acatholicae parentes habuerint ad sectam pertinentes quae baptismum respuit : — b) si parentes habuerint pertinentes ad sectam in qua baptismus non confertur nisi adultis, ut fit ex. gr. in secta Baptistarum ; — c) si parentes habuerint qui, dum in vivis essent,

(1) Ex hac practica regula deducit Lehmkuhl (II. n. 322) omnes qui dubie baptizati sunt jure divino subesse Ecclesiae jurisdictioni, ac proinde omnibus legibus quae fideles adstringunt, speciatim confitendi omnia peccata post dubium baptismum commissa. Cfr. supra n. 259. Sed verius ibi meram praesumptionem reperiri putamus quam Ecclesia sequatur in dijudicandis causis matrimonialibus, sed quae minime impedit quominus in foro interno de obligationibus dubie baptizatorum pro labore vel minore certitudine quae de eorum baptismi habeatur, judicetur. Hanc praesumptionem nequaquam ita firmam esse ut censet Lehmkuhl, indicare videntur tum dispensatio quam S. Sedes ad cautelam elargitur ubi probabile est alterutram partem non esse baptizatam (ad 2um), tum exceptio facta pro casu quo de baptismi nullitate postea certo constiterit (ad 6um).

professi sint se nolle ad ullam sectam pertinere. Verum simul declaravit S. Inqu. *recte praesumi* baptismum si partes acatholicae parentes habuerint pertinentes ad sectam quae baptismum ut necessarium habet, vel in qua saltem ordinarie administratur, et iidem parentes in sua secta zelosi fuerint, vel etiam si unius tantum parentis secta et zelosus animus praesumptioni baptismi favent, dummodo is indubie primas partes in educatione proliis habuerit, neque alter conjux cognoscatur positive contrarius collationi baptismi. Quare de valore hujusmodi matrimonii judicandum erit quasi ea pars cuius baptismus praesumendum sit, reapse sit baptizata, ea voto pars cuius baptismus non praesumendum sit, neque aliis specialibus argumentis probabiliter constet, reapse non sit baptizata. In aliis vero casibus in quibus magis dubia sunt praesumptionis fundamenta, jussit S. Inqu. (Decr. cit.) ut ad S. Sedem, expositis omnibus adjunctis, recurratur.

5º Si duae partes, quae se catholicas reputabant, matrimonium iniere, et postea dubium oritur num una pars rite baptizata fuerit, haec quidem sub condicione erit rebaptizanda, sed matrimonium tamquam validum omnino habendum est, ut pluries in talibus casibus respondit S. C. C., ex. gr. in Tarvisina Matrimonii 4 Mart. 1737. Cur in hoc casu, sine ulla renovatione consensus matrimonium valeat alii alter explicant. Probabilius opinamur cum Gasparri (n. 597) : consuetudinem, qua impedimentum disparitatis cultus inductum est, hujusmodi casus non esse complexan.

6º Ubi matrimonium initum est inter duas partes, quarum una certo et altera dubie baptizata erat, puta inter virum protestantem et mulierem catholicam, si postea (quod raro contingit) certo innotescit alteram non fuisse baptizatam, non satis constat utrum tale matrimonium sit validum an invalidum. Quidam, ut Gasparri (n. 597 seqq.), existimant valere, tum ob rationem supra (5º) allatam de extensione praesentis impedimenti, tum quia valori videntur favere responsa S. Sedis. Alii, ut Lehmkuhl (II. n. 752) censem id semper validum esse quando initum est cum dispensatione Ecclesiae quoad impedimentum prohibens mixtae religionis (n. 517), quia Ecclesia, dum in foro externo prohibet ne hujusmodi matrimonium postea impugnetur, manifestat suam voluntatem dandi dispensationem in impedimento mixtae religionis, quatenus opus est. Alii, ut De Becker (p. 224), invalidum censem, quia S. C. C. in dubiis exortis non solet attendere num, momento matrimonii, dubium vel certitudo adfuerit de validitate vel invaliditate baptismi unius partis, sed num, eodem momento et *objective*, una pars fuerit baptizata, altera non, et de hac re certo constet, sive jam ipso momento matrimonii, sive postea tantum. Sic S. Off. 5 Febr. 1851 edixit : "Generatim loquendo qui in Hollandia convertuntur ad fidem catholicam, habendos esse ex capite baptismatis tamquam valide conjugatos, nisi forte certe et evidenter